satisfactio cedit in meritum: ita Christus debitam
pro nobis mortem subeundo peccata eluit, per satis-
factionem: indebitam simul obedientiam praestan-
do, justitiam reparavit per meritum. At, inquis,
remissio peccatorum et imputatio justitiae idem
sunt. Sane τῷ εἶναι sunt, non τῷ λόγῳ. Nam
λόγος illius est privatio mali; hujus positio boni
saltem per imputationem. Nihil igitur impe-
dit, utramque ab eadem quidem, sed diversimode
affecta causa pendere. Ad argumentum ergo R.

<u>Propter quam rem Deus remittit peccata, propter eandem imputat justitiam.</u>

<u>Propter solam mortis obedientiam remittit peccata.</u>

<u>Ergo propter hanc solam imputat justitiam.</u>

Primo exclusiva solam obedientiam mortis in mi-
nore non est in Scripturis, est enim alia quoque obedi-
entia vitae, deinde, ea concessa. Major non est simpli-
citer vera; quia non est eadem causa utriusque simpli-
citer. Remissio peccati est ex satisfactione per mor-
tem: imputatio justitiae est ex merito per totum
obedientiae cursum proprie. Hanc distinctionem
in argumento Apostoli observare poteris. Rom.
5. v. 18. 19. si recte perpenderis. Ac nisi observes,
ex argutiis Socini haeretici contra Christi satis-
factionem nunquam te explicabis. Sed de his sa-
tis. Heidelbergae. 12. Martij 1605.

62. Clariss. D. Pareo D. Joh. Guil. Stuckius
S.P.

Pro tua erga Sprunglium et Hoffmeisterum cives no-
stros humanitate gratias ago maximas, qua uti-
nam sese ambo dignos praestent, hoc est bene ho-
nesteque se gerint, sumptusque, quos M. Christmannus

Collegii Casimiriani provisos pro Sprenglio suppedi-
tet, ut scribis, aequum erit ut pater ipsi id reddat,
quam rem ipsum spero officio suo non defuturum. De
Pistorio apostata mirabundi sumus, altum est de illo
apud nos silentium, quem forsan pudet furiarum
suarum, quibus justo Dei judicio vexatus fuit et agi-
tatus: sed quid dicam Pistorio, cum talis tantusque Luthe-
ranorum quoque sit furor, ut scribis, ut omne suum
studium atque operam cum Pontificiis ad nos divexan-
dos vel etiam opprimendos conjungant, stertentibus
interea nobis et oscitantibus. De gravi illa in Gal-
lia inter nostros de Antichristo Romano confes-
sioni Gallicanae inserto controversia nos quoque hic qui-
dam audivimus, non sine magno animi nostri do-
lore et molestia, Deum orantes ut ipse pro sua
misericordia eam sopire ac sedare velit, ne gra-
viora inde mala existant. Nos quidem in no-
stro ad Vapincanae Synodi literas responso libere
et ingenue de hoc articulo ita scripsimus. Quan-
tum deinde ad Pontificem Romanum attinet,
de quo trigesimus primus est confessionis vestrae ar-
ticulus, quemadmodum majores et antecessores
nostri publicis suis et concionibus et scriptis,
Bullingerus praesertim in suo Commentario in
Apocalypsin, et Gualtherus in Homiliis suis, quas
ex professo de hac materia scripsit, et in lucem edi-
dit, docuerunt et testati sunt: sic nos quoque cre-
dimus et asserimus, illum esse magnum et in-
signem illum Antichristum, de quo Christi, Pro-
phetarum et Apostolorum luculentissima ex-
tant testimonia et vaticinia: quem etiam nos
breviter quidem, sed graphice suis depinximus
coloribus. Hic etiam magis ac magis, his ipsis
nostris temporibus, cum doctrina vitaque sua
Christi doctrinae et vitae ex diametro repugnat

tum potestate illam, quam ſibi arrogat et aſſe-
rit, plenaria ſuaque tyrannide, quam in Eccle-
ſiam Christi exercet, ſcriptiſque prodit et An-
tichristum illa etiam manifeſte oſtendit.
Et idcirco hunc articulum, multis licet val-
de odioſum et inviſum, justas graveſque ob cau-
ſas confeſſioni huic veſtrae recte inſertum a
vobis eſſe judicamus, cum propter hominum
mundique odia veritas non ſit reticenda,
ſed libere et ingenue confitenda. Hac Ba-
lienſium quoque fratrum necnon Bernatum
et Scaphuſianorum ſperamus fore ſententiam. Hac
ac vere pro mutua familiaritate benevolen-
tiaque me tua committo fidei et taciturni-
tati: Nolim reſciri et palam fieri me de
his ad te ſcripſiſſe. In hac noſtra ſententia
theſes Sedanenſes de Antichriſto, quas te vi-
diſſe puto, nos valde confirmarunt. Ficum
ficum, ſcapham ſcapham putamus etiam di-
cendam, ac meliori ſanioriique parti nobis etiam
adhaerendum. Non poſſumus nec debemus,
noſtro judicio, fratribus Gallis auctores ſua-
ſoreſque eſſe, ut hunc de Antichriſto Romano
articulum ex confeſſione ſua rurſus expun-
gant atque tollant, cum id ſine maximo ſcan-
dalo et non Vapincanae ſolum ſynodi, ſed et-
iam univerſae Eccleſiae religioniſque noſtrae de-
decore ignominia ac detrimento mini-
me fieri poſſe videatur. Non eſt igitur,
quod nos poeniteat aut pudeat ejus con-
feſſionis de Antichriſto Romano, de beſtia
ac meretrice illa Babylonica et purpu-
rata, quae ſacrae et Canonicae ſcripturae autori-
tati nititur, quae anteceſſorum et recto-

maiorum Ecclesia, his postremis nostris tem-
poribus tot martyrum, tot ecclesiarum refor-
matarum, tot Doctorum ac piorum fuit, et adhuc
est confessio libera, ingenua atque constans.
Quod scire cupis, quae sit reverendorum fratrum no-
strorum sit sententia malo te ex ipsorum
literis, quarum exemplum ad te mitto, quam
ex meis cognoscere. Pro thesibus tuis doctissi-
mis maximam tibi habeo gratiam. Vale, Do-
mine et amice perobservande. Deus te Ecclesiae
suae diu servet incolumem, quo diutius ei inservi-
re possis. Tig. 21 Jan. anno 1605.

Tui observantissimus
Jo. Guil. Stuckius.

Clariss. Casparo Laurentio 63.
D. Pareus S.P.

Exhibuit nobis spectabilis D. Ruchierg civitatis
vestrae legatus literas vestras pietatis et bene-
volentiae plenas: ad quas aequum erat nos respon-
dere. Sed veniam nunc dabitis, in quo [illegible] cle-
rique vindemiatum peregre abierunt, et in his
etiam facultatis nostrae Decanus. Non desisti-
mus privatim et publice mentionem vestri
facere in precibus nostris ad Deum, cuius praesen-
tissimam dexteram porro ut hactenus neque vobis
neque nobis defuturam confidimus oramusque
ipsum. Novum fulmen adversus vos et nos hae-
reticos scilicet nunc iterum evibravit novus Anti-
christus. Sed nihil novi molitur Satan. Prohi-
bet Deus nos stertere aut securos esse periculi.
Quae de Roberto Campano scribis non sine dolore
agnovi. Publico is scripto (ut catalogus indicat)
causam suam disceptabit. Et apud Germanos qui-